

Novi Testamenti, duplici, & quidem diversa constare materia: terrenâ unâ & visibili: cœlesti seu invisibili alterâ.

43. Externa sive terrena materia, sunt ipsa symbola sive Elementa, non humano arbitrio delecta, sed divinitus ordinata: qualia sunt: In Circumcisione præputium cum sanguinis fusione recisum: in Sacramento Paschæ, Caro & Sanguis agni: In Baptismo, Aqua: In S. Cœna, panis & vinum.

44. Res seu materia Cœlestis, in Sacramentis utriusq; fœderis est, Caro, & Sanguis Dominicus: Is verò, pro diversitate temporum, vel typicus est, vel Essentialis.

45. Sacramenta enim Veteris Testamenti umbratilia fuerunt & typica; sanguine præputij, typum sanguinis Christi essentialis: Carne & sanguine agni Paschalis, typum carnis & sanguinis Domini in sese continente.

46. Novi verò Testamenti Sacramentorum res cœlestis, umbrâ non futurorû bonorum, sed ipsam verû εἰκόνα substantiam exhibet: quæ tamen quia sub aspectum humanum non venit, ideo Elementum seu symbolum visibile ei addere Christus voluit. Heb. 10. 10

47. Oportuit enim Deum συγκαταβαῖνεν, & ad infirmitatem nostram sese demittere, quibus, ut Chrysostomus loquitur, nuda & incorporea bona

bona